



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 17. Animalia monstrosè loquentia, vel parientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

modum, inter saxa, cum torque aureo  
inuenio. Aurum intra montes nasci pos-  
se scimus, non item torquem aureum.  
Nec bufones inibi posse gigni negarem;  
canes autem crescere, velut vermes, aut  
lapides, nemo mihi persuaserit. Facile au-  
tem est spiritui malo viam aperire, & talia  
in tali carcere includere, aut canem bu-  
fonemq; agere. Qua arte virginem vultu  
retulit, quando, in venatu, sitienti comiti  
Oldenburgico, è rupe velut ostio diducta  
progrediens, scyphum illum argenteum  
obtulit, qui adhuc ostenditur, miris mul-  
tisq; emblematis cælatum.

## §. XVII.

*Animalia monströsè loquentia, vel pa-*  
*rientia.*

Multa alia non solum mirabilia, verùm Val. Max.  
etiam monstrosa acciderunt circa bestias. I. i. c. 6.  
Præcipua enim admirationis sunt etiam illa  
prodigia, quæ P. Volumnio. Ser. Sulpicio Coss.  
in urbe nostra, inter initia motusq; bellorum  
acciderunt. Bos namq; mugitu in humanum  
sermonem conuerso, nouitate monstri, audien-  
tium animos exterruit. Carnis quoq; in mo-  
dum nimbi dissipatae partes ceciderunt: qua-  
rum maiorem numerum præpetes diripuerunt

ANES

anes, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum iacuit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt. Siquidem bello etiam Punico secundo constitit, Cn. Domitio bouem dixisse: *Cave tibi Roma.* Ante paullò, quām Augustus Imper. factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: *Non enim frumenta, sed homines breui defuturos.* Quæ boni malive Angeli virtute fieri potuisse, ostendunt illa sacræ scripturæ verba: *Aperuitq; Dominus os asina, & locuta est: Quid feci tibi? cur percussis me? ecce iam tertio?* Et rursum: *Non nè animal tuum sum, cui semper sedere consueisti usque in presentem diem? dic, quid simile unquam fecerim tibi?* Quām diserta fuit asina Balaam? & fieri non posset, vt aliæ quoque bestiæ loquerentur, Deo volente, aut spiritu verba, in ore earum, formante, plectrumq; linguæ in sermonem quatiente? Potuit ergo loqui asina, & non possit vacca? eiusdem utrumque animal ingenij ad lyram? Datio Babylonem obscienti vox è muris reddita est, urbem ipsam tunc à Persis captum iri, cùm mula pareret. Quo præsagio omnes capiendæ

vrbis

Num. 22.  
28.

urbis desperatio iam ceperat, donec Zo-  
phyri Persæ mula enixa est.

## §. XVIII.

*An mulae sint Monstra, & num natura-  
liter pariant?*

Et quia de mulis mentionem fecimus,  
quæri potest, an non & ipsæ mulæ in mon-  
strorum censu sint ponendæ? Certè eas à  
natura deuiare ostendunt progenitores, &  
sterilitas eorum; licet, quia consuetæ, &  
ordinarij talium parentum partus, vulgo  
pro monstris non habeantur. *Observatum* Plin. I. 8.  
est, ait Plinius, è duobus diuersis generibus na- nat. hist.  
ta, tertij generis fieri, & neutri parentum esse cap. 44.  
similia: eaq; ipsa, quæ sunt ita nata, non gi-  
gnere. Idcirco mulas non parere. Est in anna-  
libus nostris, peperisse sæpe, verùm prodigijs loco  
habitum. Theophrastus vulgo parere in Cap-  
padocia tradit: sed esse id animal ibi sui generis.

## §. XIX.

*Monstra ex hominibus nata.*

Inter homines monstra existere defor-  
mantia naturam, experientia testatur quo-  
tidiana. Adstipulatur & D. Augustinus,  
quo memorante, apud Hipponem natus est S. Augu-  
homo quasi lunatas habens plantas, & in eis stin. I. 16.  
binos tantummodo digitos, similes & manus. de ciuit,  
c. 8.

D

Qui